



1. Pappi s. Joh. Theses de Scriptura  
Sacra Argent. 1593.
2. Gerlach s. Steph. diff. de vera Eccle-  
sia Tubingae 1593.
3. diff. de Traditionibus in  
Ecclesia Tubingae 1593.
4. Pappi s. Joh. Theses de Ecclesia  
Argent. 1594.
5. Fabri s. Joh. Theses de peccato  
originali Argent. 1595.
6. Marbachij s. phil. Theses de  
iustificatione hominis  
Argent. 1597.
7. diff. de Baptismo.  
Argent. 1601.

Num. 6

THESES  
DE IVSTIFICATIONE  
HOMINIS PECCATORIS  
CORAM DEO



Quas, diuina adiuuante gratia

SVB PRÆSIDIO REVERENDI  
& Clarissimi viri

DN. PHILIPPI MARBACHII SS. THE-  
OLOGIAE DOCTORIS ET PROFESSO-  
ris in celebri Argentinesium Academia,

*Publice tuebitur.*

MATTHIAS TOTSNERVS TRANSYLVANVS.

Mense Augusto.



ARGENTORATI  
Excudebat Antonius Bertramus, Academiae Typographus.  
M. D. XCVII.



REVERENDA DIGNITATE, EX  
cellenti eruditione, & spectabili pietate præstanti  
viro, D. IOHANNI TOTSNERO, Pastori  
Ecclesiæ Dipfensis fidelissimo, Patenti  
suo perpetua obseruantia  
colendo.

ET

CLARISSIMO AC DOCTISSIMO  
viro D. Georgio Sadlero, Rectori Scholæ  
Coronensis dignissimo, Præceptori  
plurimum honorando:

*Hascè à se conscriptas*

Et publicè *σὺν θεῷ* disputatas de Iustificatione  
Theses: In

Gratitudinis Symbolum  
Studiorumq; testimonium

dedicat & offert

MATTHIAS TOTSNERVS.

T H E S E S  
DE IUSTIFICATIONE HOMINIS  
Peccatoris coram Deo.

I.

**I**nter reliquos Christianæ religionis articulos, non postremum is obtinet locum, qui est de nostra coram Deo iustificatione & reconciliatione: Hic enim est sedes nostræ salutis, & quasi arx totius Christianismi, & ad hunc tanquam ad scopum reliqui omnes referuntur: ideo namque reliquis doctrinæ Christianæ capitibus assentimur, ut iustificationem coram Deo, remissionem peccatorum & vitam æternam consequamur.

II.

Locus ergò de gratuita Iustificatione diligenter est *Lutherus* cognoscendus, qui si vel penitus tollatur, ut à Iudæis, vel *in cap. 21.* deprauetur, ut Pontificijs, neq; Ecclesia consistere, nec *Genes.* Deus retinere suam gloriam potest, quod sit misericors, & quod propter Filium gratis remittere & condonare omnia peccata velit.

III.

Cum igitur tanta sit & dignitas, & utilitas atq; necessitas huius articuli, placuit veram de hoc potissimum Christianæ religionis capite doctrinam, ex fontibus Israël breuib; thesibus cōprehensam, publicæ συζητήσεως gratia proponere. Septem autem quæstionibus adhuc articulum intelligendum maximè necessarijs, totum hoc institutum nostrum absoluemus, idq; breuiter.

A 2

Quæstio



## QVÆSTIO PRIMA.

Quid vocabulum Iustificandi significet? Ⓞ

III.

Principiò sciendum est, quæ sit propria significatio verbi Iustificare: ignorata enim verborum proprietate facillimè de rebus ipsis erratur: Non autem in genere quaritur, quomodo hoc vocabulum S. scriptura diuersis in locis vsurpet: sed tantùm quid hoc loco & præsentii in negotio significet: Et nos quidem affirmamus illud in huius argumenti sede nihil aliud denotare, quàm à peccatis in iudicio Dei absoluerè & iustum pronunciare: Rom. 8. v. 33. Act. 13. v. 38.

V.

Quemadmodum enim in iudicijs forensibus & politicis iustificari dicuntur, qui à reatu scelerum de quibus erant accusati à Magistratu absoluuntur, & liberi pronunciantur: Deut. 25. v. 1. Prouerb. 17. v. 15. Esa. 5. v. 23. ita etiam in hoc articulo coram Dei iudicio iustificari dicuntur, qui absoluuntur à reatu & damnatione peccatorum, iustiq; pronunciantur gratis per redemptionem facta per Iesum Christum, Rom. 3. v. 24.

VI.

Vt enim scriptura propriam & genuinam huius verbi significationem hoc in articulo monstret, plerunque id opponit verbo accusandi & cõdemnandi, vt Rom. 8. v. 33. quis, inquit Apostolus, accusabit electos Dei? Deus est qui iustificat, quis ille qui condemnet? vbi quid iustificare significet ex opposito patet, videlicet absoluerè à condemnatione. Et ad Roman. 5. v. 16. & 18. eadem extat *αὐθιθεσις*: Iudicium, inquit, ex vno in condemnatione

natio-

nationem: gratia autem ex multis delectis in iustificatio-  
nem, vbi iudicio opponitur gratia, condemnationi iu-  
stificatio, quæ à foro desumpta esse haud est obscurum.

VII.

Præterea cum iustificatio nostra sit remissio pecca-  
torum gratuita vt ex Actis c. 13. v. 38. & 39. patet: & D.  
Paulus iustificationem ex Psal. 32. explicet voce remissi-  
onis peccatorum. Roman. 4. v. 6. & 7. manifestum eua-  
dit, Apostolo iustificari nihil esse aliud quàm remitti  
iniquitates, obtegi peccata, & homini non imputari  
peccata: quæ omnia veram vocabuli iustificandi signifi-  
cationem manifestissimè stabiliunt.

VIII.

Falsa est igitur Pontificiorum sententia, quibus iu- *Bellarmin.*  
stificari is dicitur, qui aliquo iustitiæ habitu imbuitur, & *lib. 1. de iur.*  
ex impio noua infusa qualitate fit iustus, vel fit magis iu- *stif. cap. 1.*  
stus per iustitiæ incrementa, & propter hanc inhaerentē *et lib. 2.*  
iustitiam vitam consequitur æternam. Scriptura enim *cap. 3.*  
sicuti nos interiore nostra sanctitate coram Deo iustifi-  
cari negat: ita Pontificiam huius verbi significationem  
hoc in articulo penitus ignorat.

## QVÆSTIO SECVNDA

### Quid sit iustificatio?

IX.

Explicata vocabuli iustificandi significatione, vnus  
de iustitiæ nostræ coram Deo definitio petenda sit facilè  
intelligitur; videlicet non ex principijs natura notis, seu



reliquijs recti iudicij in mentibus hominum, quibus discrimen honestorum & turpium diuinitus est impressum; sed ex doctrina & verbo diuinitus reuelato & quidem non ex lege, sed ex Evangelio, quod de gratia Dei, vnico nostro mediatore Iesu Christo, & de fide hunc amplectante concionatur.

X.

Manifestè enim, inquit Apostolus, Nunc vero absq; lege iustitia Dei est manifestata Rom. 3. v. 21. vbi per illud *χωρίς νόμου* non tantum legem naturæ, sed etiam legem diuinam, cuius in præcedenti versu mentionem fecerat, intelligit: & ad Philip. 3. v. 9. Vt inueniat habens iustitiam, nõ eam quæ est ex lege, sed eam quæ per fidem est Christi: si enim (inquit) ex lege esset iustitia, non fuisset necesse Christum pati ac mori, Galat. 2, v. 21.

XI.

Præterea ipsa lex ab vnoquoq; mortalium perfectam flagitat obedientiam, omniumq; mandatorum perfectissimam requirit obseruationem: iuxta illud, Maledictus omnis qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis vt faciat ea: Gal. 3. v. 10. cum autem hisce præceptis nemò integre satisfacere in hac naturæ corruptione possit siquidem legis impotentia nihil potest in carne: Rom. 8. v. 3. nec potest viuificare Galat. 3. v. 21. perspicuum est in conspectu Dei ex operibus nullam carnem iustificari: Rom. 3. v. 20. ac proinde definitionem nostræ iustitiæ ex lege petendam nequaquam esse.

XII.

Doctrinam igitur de vera hominis coram Deo iustitia, ex solo Evangelio explicandam & hauriendam esse patet:



patet: illud autem nos docet: Iustificationem esse actionem Dei, qua hominem peccata sua agnoscentem, & ad thronum gratiæ confugientem, sola misericordia & gratia propter Christi meritum fide apprehensum, sine ullo operum intuitu, remissis peccatis iustum & à damnatione liberum pronunciat, & in æternæ vitæ hæreditatem cooptat. Rom. 8. v. 33. Rom. 3. v. 24. Gal. 2. v. 16.

### QVÆSTIO TERTIA.

Quæ causa efficiens, impulsiva & meritoria Iustificationis?

#### XIII.

Vt ipsa definitio melius intelligatur, causæ Iustificationis explicandæ sunt: Et quidem principalis causa efficiens nostræ iustificationis est tota Trinitas, Pater Filius & S. S. Pater enim æternus nos in gratiam recipit propter Filium mediatorem, & per Spiritum sanctum accendit in nobis fidem, qua Filii meritum apprehendamus, & beneficia ipsius morte ac passione acquisita, nobis applicemus. Rom. 8. v. 33. 2. Cor. 5. v. 19. Esa. 43. v. 25. 1. Corinth. 6. v. 11. Colos. 1. v. 20. Ephes. 2. v. 5.

#### XIII.

Iam verò ulterius quæritur: quid sit illud, quo motus Deus hominibus peccata remittat, eos in gratiam recipiat, & à damnatione peccatorum liberos pronunciet: an iustitia Christi per fidem nobis imputata, vel inherens aliqua iustitia & sanctitas. Et quidem nos affirmamus, quod sola gratia & misericordia Dei propter sa-

risfactionem Iesu Christi sine operum merito gratis recipiamur in gratiam, & per imputationem meriti Christi donemur remissione peccatorum iustitia & vita æterna, omnes, qui vera fiducia Christi meritum nobis applicamus, vt sic soli Deo gloria iustitiæ & salutis nostræ tribuatur. Rom. 3. v. 24. & 26. Rom. 4. v. 24. Gal. 2. v. 167.

XV.  
Hac autem assertionem præcipuas complectimur iustificationis nostræ causas: ordine itaq; eas explicabimus, & veras esse ex fontibus doctrinæ cœlestis demonstrabimus, falsas autem quas alij comminiscuntur, breuiter confutabimus.

XVI.  
Impulsuam igitur reconciliationis nostræ causam scriptura sacra ponit gratiam & misericordiam Dei: Ita enim Paulus Rom. 3. v. 24. vbi summam totius doctrinæ de iustificatione artificiosissimè complexus est: Iustificamur, inquit, gratis ipsius Dei gratia: quod repetens ad Ephes. 2. v. 8. scribit: Gratia seruati estis per fidem, idq; non ex vobis: Hinc ipsi Apostoli credunt se per gratiam D. Iesu Christi saluari, vt & patres illorum Act. 15. v. 11. & illustria sunt testimonia idem comprobantia. Soph. 3. v. 17. Psal. 6. v. 5. Psal. 51. v. 1. Rom. 5. v. 8. 1. Ioh. 4. v. 10.

XVII.  
Gratiæ autem vox, cum scriptura nos gratia Dei saluatos, esse dicit, non significat nouas virtutes à Spiritu sancto excitatas, seu charitatem infusam, vt nugantur Pontificij: sed misericordiam Dei gratuitam, qua nos charos habet in Christo Iesu, qua condonat nobis peccata, dat Spiritum sanctum, vitam integram & æternam felicitatem. Tit. 2. v. 11. 1. cap. 3. v. 5.

XVIII.

XVIII.

Nam primò quod vno in loco per gratiam Dei saluari nos dicit Apostolus, Rom. 3. v. 24. Ephes. 2. Tit. 3. idem alibi de Dei misericordia, Tit. 3. v. 5. charitate sua quæ dilexit nos, Ephes. 2. v. 4. 1. Ioh. 4. v. 10. opulentiâ gratiæ suæ & benignitate, Ephes. 2. v. 7. *Φιλανθρωπια* & bonitate. Tit. 3. v. 4. interpretatur. Secundò quia distinguit Apostolus gratiam seu gratuitam peccatorum remissionem à dono per gratiam siue iustitia inhærente: Rom. 5. v. 15. Tertiò quia gratia opponitur ipsis operibus adeoq; omni merito: Rom. 4. v. 4. vnde patet illam vt qualitatem & opus in nobis non considerari: Si per gratiam, inquit Apostolus, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non est gratia Rom. II. v. 6. vbi significatio Pontificia locum habere nequit.

XIX.

Pretereà si vocabulum Gratiæ de donis nobis infusis esset intelligendum, gloriandi nobis relinqueretur materia, siquidem sic imputaretur nobis merces ex debito: exclusâ autem est à nobis omnis gloriatio. Rom. 3. v. 27. Adhæc gratia qua saluamur in Deo consideratur & nosmetipsos antecedit ante omnia secula. 2. Timoth. 1. v. 9. cum autem dona infusa non sint ab æterno, sed in tempore demum in nobis accendantur, perspicuum est vocabulo Gratiæ huius modi dona hoc quidem in loco non intelligi.

XX.

Manet ergo firmum & immotum: & quòd falsa sit Scholasticorum illa definitio, quod gratia sit habitus à Deo infusus, bonitati & charitati eius similis, quo grati Deo reddamur, & ipsi opera grata & meritoria faciamus

B mus



mus: & quod prima iustificationis nostræ causa sit im-  
mensa Dei misericordia, & dilectio, non quod nos dile-  
xerimus Deum, sed quod ipse dilexerit nos, & filiū suum  
miserit, vt esset propitiatio pro peccatis nostris: 1. Ioh.  
4. v. 10. Ephes. 2. v. 4. nihil igitur Deus in nobis respicit,  
nihil etiam inuenit, cuius dignitate & merito motus  
nobis peccata remittat, & nos in æternæ vitæ hæredita-  
tem cooptet.

### XXI.

Cum autem Deus non solum sit benignus & mi-  
sericors, sed etiam summe iustus: huic iustitiæ diuinæ vt  
satisficeret: oportuit interuenire aliquod meritum, pro-  
pter quod in gratiam ab æterno Patre reciperemur, &  
iusti pronunciamur: tale autem cum à nobis proficisci  
sit impossibile: meritoriam iustificationis nostræ causam  
scriptura ponit satisfactionem & redemptionem factam  
per Christum. 1. Pet. 2. v. 24. Rom. 5. v. 19. quem propo-  
suit Deus vt esset placamen perfidem suo sanguine suo  
in remissionem peccatorum Rom. 3. v. 24. & 25. qui eti-  
am traditus est propter offensas nostras & excruciatu pro-  
pter iustificationem nostram. Roman. 4. v. 25.

### XXII

Hoc *ἀντιπρόσωπον* Christi interueniente satisficit iustitiæ Dei,  
nam & obediens est factus vsq; ad mortem, mortem au-  
tem crucis Philip. 2. v. 8. & redemit nos ab execratione  
legis factus pro nobis execratio. Gal. 3. v. 13. legemq; pro  
nobis impleuit: Matth. 5. v. 17. Gal. 4. v. 5. Rom. 10. v. 4.  
cum enim post primorum hominum lapsum obligati  
essemus legi tum ad obedientiam, tum ad pœnam:  
Christus non saltem obedientiam in se recepit pro nobis  
legem implendo, sed etiam pœnas transgressoribus con-  
stitutis subire patiēdo voluit.

### XXIII.

Nec tantum pro aliquorum hominum ex absoluto quodam Dei decreto electorum peccatis est mortuus, sed pro peccatis totius mundi satisfecit I. Ioh. 2. v. 2. hinc agnus ipse appellatur qui tollit peccata mundi, Ioh. 1. v. 29. Ioh. 6. v. 51. dicitur seruator ipsius mundi Ioh. 4. v. 42. Ioh. 12. v. 47. Ioh. 3. v. 17. I. Ioh. 4. v. 17. & Esaias affirmat Deum posuisse in eo iniquitates omnium nostrum, Esa. 53. v. 6. dicitur à Paulo mortem gustasse, & se dedisse redemptionem pro omnibus I. Timoth. 2. v. 6. Heb. 2. v. 9. cum neminem velit perire, sed omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire cupiat I. Tim. 2. v. 4. 2. Pet. 3. v. 9. Ezech. 33. v. 11.

### XXIII.

Nec etiam Christus passione sua pro originalibus saltem peccatis satisfecit, vt quidam blasphemè contendunt: sed etiam pro actualibus: Scriptura enim sine vlla distinctione generaliter asserit, Christum nos redemisse ab omni iniquitate. Tit. 2. v. 14. I. Ioh. 1. v. 7. Colos. 2. v. 13. & sanguis Christi nos dicitur purgare ab operibus mortuis Hebr. 9. v. 14. quæ ipsa opera nihil aliud quam peccata actualia denotant: quin & Paulus peccatorum suorum actualium remissionem se consecutum scribit, quod Christus venerit in mundum vt peccatores serua- ret I. Timoth. 1. v. 5.

### XXV.

Sed dicunt alij: Christum quidem pro peccatis quoq; actualibus mortuum esse: ita tamen vt pro culpa satisfecerit non autem pro pœna: verum hoc ineptum est dicere, si enim à culpa & reatu liberamur per Christū, pœnas quæ inde proueniunt, cessare oportet: remissio



enim culpæ nihil est aliud, quam nolle punire propter culpam, & pœna iustè infligi non potest, nisi propter culpam: Adhæc Christus nos dicitur redemisse à legis maledictione Gal. 3. v. 13. à dominio & imperio Sathanæ Heb. 2. v. 14. à morte & inferno: Oseæ. 13. v. 14. & ventura ira 1. Thes. 1. v. 10. Rom. 5. v. 9. quæ omnia peccatorum esse pœnas manifestum est: ac proinde falsa hæc opinio, tanquam quæ Christi meritum imminuit, & Deo iniustiam tribuit, penitus est repudianda.

XXVI.

Tertiam iustificationis nostræ causam scriptura constituit fidem: cum hominem fide Rom. 3. v. 28. ex fide: Rom. 5. v. 1. Rom. 4. v. 5. non nisi per fidem, id est, per fidem solam Galat. 2. v. 19. iustificari dicit: hinc & Abrahamus pater fidelium fide iustificatus esse dicitur Rom. 4. v. 3. & 22. Genes. 15. v. 6. Gal. 4. v. 6. & gentes ipsæ fide in Christum iustificatæ sunt & iustificantur à Deo, Gal. 3. v. 9. quia verò est causa instrumentalis nostræ iustificationis, de ea in sequenti quæstione pluribus.

XXVII.

Explicatis & ex scriptura demōstratis veris iustificationis nostræ causis: falsas esse, quæ præter has adferuntur necesse est, ut quod Scholastici finxerunt, primos patres ante Moysen lege naturæ, Iudeos lege Moysis, Christianos lege Christi iustos & saluos esse: Eandem enim omnibus temporibus consequendæ salutis fuisse rationem Apostoli luculenter ostendunt Act. 15. v. 11. quod & ipsi & Patres illorum per gratiam Iesu Christi saluati sint: & Petrus Act. 4. v. 12. ostendit extra Christum spem consequendæ salutis nullam esse: unde etiam colligitur, malè illos sensisse, qui veteres Ethnicorum sapientes in cœlum collocare non sunt veriti.

*Zuinglius  
in exposit.  
fidei iust.*

## XXVIII.

Falsa etiam & impia Pontificiorum est opinio, qui operibus legis moralis vitam & salutem nos consequi æternam statuunt: Manifesta enim Pauli assertio est. *λογιζόμεθα* certò & firmiter concludimus, hominem absq; operibus legis iustificari non nisi, id est per solam fidem Iesu Christi: Romau. 3. v. 20. & 28. Galat. 2. v. 16. vbi operibus nostris omnis iustificandiuis penitus adimitur.

## XXIX.

Nec hic valere potest Origenis & Romanensium *περυσφύγιον*, qui nugantur Paulum hic à Iustificationis actu excludere non opera legis moralis, sed ceremonialis tantum: Textus enim eos apertè refutat: Loquitur enim Paulus de ea lege ex qua Iudei docebant alios, non esse mœchandum, furandum, idolis seruiendum: Rom. 2. 22. quæ obnoxium facit totum mundum condemnationi Dei: Rom. 3. v. 19. per quam cognoscitur peccatum Rom. 3. v. 20. quæ iram operatur: Rom. 5. v. 15. ex qua Paulus cognouit concupiscentiam esse peccatum Rom. 7. v. 7. quæ omnia de legè Morali seu Decalogo intelligenda esse manifestissimum est.

## XXX.

At instant alij: Paulum derogantem iustificationem operibus legis, loqui saltem de operibus hominū nondum renatorum, quæ fiunt ex viribus liberi arbitrij sine auxilio Spiritus S. non autem de ijs quæ fiunt ab hominibus regeneratis. Sed & hoc doctrinæ Pauli ex diametro aduersatur: Dicit enim Paulus sine vlla distinctione quod NULLA caro operibus legis iustificetur: Ad hæc Abrahamum fuisse regeneratum inficias non ibunt Iesuitæ, eum tamen operibus iustificatum fuisse negat

Apostolus: Si, inquit, Abraham ex operibus iustificatus fuit, habet quod gloriatur sed non apud Deum: Rom. 4. v. 2.

XXXI.

Preterea annone Apostoli fuerunt renati? illi tamen in synodo Hierosolymitana congregati fatentur legis obseruationem & patribus ipsorum & sibi ipsis impossibilem esse: ideoq; remota falsa iustificationis causa legis videlicet impletione veram talem constituunt: Credimus, inquit, nos per gratiam Domini Iesu Christi seruatum iri, quemadmodum & Patres nostri, Act. 15. v. 11.

XXXII.

Adde, quod si interior hominis renouatio & sanctitas est nostra coram Deo iustitia, perfecta & omni ex parte cum lege Dei congruens vt sit oportet: Lex enim integram omnium virium perfectionem requirit: Deut. 26. Gal. 3. At nullam talem in renatis esse perfectionem hominum regeneratorum abundè testantur querelæ, de suæ naturæ per peccatum corruptione, & de propria iustitiæ imperfectione.

XXXIII.

Esaïas dicit nos esse immundos, OMNES IUSTITIAS nostras esse tanquàm vestimentum inquinatum: Esa 64. v. 6. Salomon affirmat non esse hominem iustum in terra qui faciat bonum & non peccet. Eccles. 7. v. 21. neminem posse dicere mundum esse corsuum; Prouerb. 20. v. 9. & si dixerimus peccatum nos non habere, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est. Ioh. 1. v. 8. non est enim homo qui non peccet. 1. Reg. 8. v. 46. 2. Paralip. 6. v. 36, & bibat iniquitatem sicut aquam. Iob. 15. v. 15.



## XXXIII.

In primis verò notandum est D. Pauli exemplum: is enim de se fatetur quamvis renatus, quod sit carnalis obnoxius peccato. Rom. 7. v. 14. quod in carne sua non habitet bonum sed peccatum: Ibid. v. 17. quod bonum propositum perficere non possit v. 18. quod peccatum illi adiaceat v. 21. quod in eo sit lex membrorum repugnans legi mentis, quæ captiuet eum peccato Rom. 7. v. 23.

## XXXV.

Falsissimùm est quod hîc fingunt Pontifici; Paulum non loqui de peccato proprie sic dicto: sed de fomite peccati: nam Apostolus fatetur tales in se esse motus qui legi repugnent: annonne verò res cum lege pugnans seu ἀνομία verè & propriè est peccatum? 1. Ioh. 3. v. 4. Ex quo consequitur iustitiam inherentem perfectam in nobis in hac vita quærendam non esse, cum ea multis peccatorum sordibus sit contaminata.

## XXXVI.

Et deniq; iustificatio nostra ab Apostolo ita describitur, vt omnis gloriatio ab hominib; excludatur Rom. 3. v. 27. si verò ex operibus renatorum coram Deo valens esset iustitia, haberent certè illi materiam gloriandi: dicit enim de Abrahamo scriptura. quod si ex operibus iustificatus fuerit, habuisse ipsum de quo gloriatur: Rom. 4. v. 2. magis ergò dicendum cum Apostolo: Non ex operibus ne quis gloriatur. Ephes. 2. v. 9.

## XXXVII.

Etsi enim in operibus bonis efficiendis nulla renatis gloriandi materia relinquitur, cum opera bona in ipsis excitentur authore Spiritu sancto: tamen ratione

causæ cooperantis aliqua laudis pars ad reñatos rēdit :  
hinc Christiani dicuntur *σύνεργοι* gratiæ Dei: & Paulus ad  
Corinthios scribens disertè affirmat iuxta differentiam;  
bonorum operum suam vnicuiq; fore laudem à Deo.  
1. Cor. 4. v. 5.

XXXVIII.

Atq; hæc contra iustitiam operum: argumenta il-  
lorum dissoluere nostri instituti ratio non permittit: in  
disputando examinari possunt: vnum tamen quod ex  
epistola iacobi cap. 2. v. 24. producant, cuiq; multum  
tribuunt, discutiamus.

Videtis, inquit iacobus, quod ex operibus iusti-  
ficetur homo, & non ex fide tantum. Ergò (inferunt) non  
sola fide sed fide formata charitate seu fide & operibus  
coram Deo iustificamur.

XXXIX.

Etsi autem D. Paulo iacobus contradicere videa-  
tur, tamen si diligenter vtriusq; Apostoli scopus confi-  
deretur, facile conciliari possunt. Paulus enim disputat  
contrà eos qui opera ponebant iustificationis causas:  
iacobus verò contrà eos qui non modò operum iustifi-  
cationem sed ipsa etiam opera tollebant: Sicut ergò  
aduersus illos ita defenditur gratuita ex fide iustificatio,  
vt opera ipsa bona non tollantur: sed tamen iustificandi  
vis illis detrahatur: ita apud iacobum opera ea ratione  
stabiliuntur, non vt iustificandi vis illis tribuatur, sed vt  
vera iustificatio ex illis tanquam effectis colligatur.

XLXX

Dicimus ergò in argumento esse errorem *Παράλη-  
θρον* in vocabulo iustificandi aliter enim apud Pau-  
lum quàm apud iacobum accipitur: In Paulina disputa-  
tione

atione vt supra ostensum, significat in iudicio Dei absol-  
uere & iustum pronunciare: apud Iacobum verò deno-  
tat iustum declarare ex ipsis operibus, vt conspiciatur eti-  
am ab alijs: sicut & fidei vocabulum apud eundem non  
veram sed hypocriticam & simulatam fidem significat:  
agit enim Iacobus illic non de causis nostræ iustificatio-  
nis, sed de notis per quas iustificati verè à nobis agnosci  
possunt, vt distinguantur ab ijs qui falsò se iactant fidem  
habere & iustificatos esse.

#### XLI.

Affirmat itaq; Iacobus hominem iustificari ex ope-  
ribus, id est ipsis operibus demonstrare alijs se esse iustum  
& timere Deum: Et rursus: Abrahamum ex operibus  
iustificatum esse dum filium suum Isaac obtulit, hoc est,  
operibus declarasse se iustificatum esse: Et hanc inter-  
pretationem veram esse illud confirmat, quod fide iu-  
stificatus pronuntiatur antequam etiam illi Isaac nas-  
ceretur Genes. 15. v. 6. & præterea illud angeli ad Abraha-  
mum: Nunc cognoui quod timens Deus Genes. 21. v.  
12. id est, hac ipsa obedientia declarasti te timere Deum  
& iustum esse.

#### XLII.

Ex quibus patet, agere Iacobum contrà eos, qui se  
inani quodam fidei & fidelium titulo venditabant, cum  
interim essent homines impijssimi, & à vera fide eiusq;  
ostensione alienissimi: notas igitur & signa in hac sua  
epistola attulit, quibus veri fideles ab huius modi hypo-  
critis & ostentatoribus dijudicari & distingui possint,  
ea autem sunt bona opera: vt adductis exemplis planum  
facit.

C. Quæstio

## QVÆSTIO QVARTA.

Quæ causa Instrumentalis Iustificationis.

XLIII.

Quoniam verò satisfactio & meritum Christi est alienum & extra nos positum, nisi illud nobis applicemus, iustificationem coram Deo consequi haud poterimus: Duo igitur scriptura ponit media, per quæ illud nobis accomodatur: Vnum ex parte Dei offerentis, & dicitur Imputatio: alterum ex nostra parte quo imputationem iustitiæ Christi apprehendimus, ipsam videlicet fidem.

XLIII.

Imputationis vocem Apostolus Roman 4. vnde eius repetit: & duplicem eius modum constituit: v. 4. & 5. alium quo operanti merces imputatur ex debito: aliū quo credenti imputatur iustitia secundum gratiam: interdum enim quod imputatur est res inhærens ei cui fit imputatio videlicet opus aliquod: aliquando extra illum posita est in iudicio & voluntate imputantis.

XLV.

Priorem imputationis modum in hoc articulo defendunt Pontificij, dum opera tanquàm perfecta & meritoria æternæ vitæ dicunt credentibus in Christum imputari ad iustitiam: quam tamen vocabuli imputationis significationem à negotio iustificationis perspicuè remouet Apostolus, cum non operanti fidem imputari ad iustitiam scribit Rom. 4. v. 5. & cum affirmat Deum imputari iustitiam absq; operibus Rom. 4. v. 6. vnde liquet, quàm optimè ipsi cum Paulo conueniant.

Poste-

#### XLVI.

Posteriores vocabuli imputationis significatio-  
nem, qua quid alienum, quod tamen fide apprehendi-  
mus nobis imputatur: nos cum Paulo defendimus Rom.  
4. v. 5. Vt enim (verbi gratia) creditor debitori suo qui  
non est soluendo alienam solutionem imputat ex mera  
gratia: Ita etiam obedientia Christi legi præstita creden-  
tibus imputatur ad iustitiam, ac si ipsi satisfactionem  
hanc præstitissent, non ex debito sed ex gratia: Rom. 4.  
v. 24.

#### XLVII.

Medium autem huius imputationis est ipsa fides  
apprehendens iustitiam à Deo imputatam, teste Apo-  
stolo. Credidit (inquit) Abraham Deo & imputatum  
est ei pro iustitia Gen. 15. v. 6. Rom. 4. v. 3. & qui credit in  
in eum qui iustificat impium, imputatur fides sua pro  
iustitia: ubi quando fides dicitur imputari ad iustitiam  
non absolutè intelligatur, quatenus est quoddam opus  
in nobis à S. Sancto accensum, sed relatiuè, quatenus fi-  
des iustitiam saluatoris inclusam tenet, intuetur atq;  
apprehendit.

#### XLVIII.

Fidei autem vocabulum hoc in articulo non nu-  
dam significat historiam notitiam & assensionem doctri-  
næ à Deo traditæ: ut Pontificij contendunt; sed fiduciam  
firmam in promissionem Evangelij adeoq; certam no-  
stræ in Christo electionis persuasionem: Hinc Apostolus  
fidei tribuit *πληροφορίαν* Rom. 4. v. 21. *παρρησίαν* & *πεποίθη-  
σιν* Ephes. 3. v. 12. *ὑπόστασιν* & *ἔλεγχον* Heb. 11. v. 1. quæ vo-  
cabuli vim perspicuè confirmant.

C 2 Hinc

XLIIX.

Hinc & ipse saluator utroq; verbo & Credere & cō-  
fidere indifferenter utitur, propriam verbi significatio-  
nem explicans: ut quando ad paralyticum dicit: Confide  
fili remittuntur tibi peccata tua Matth. 9. v. 2. idem ver-  
bis paulum commutatis dicit ad Hæmorrhousam: Con-  
fide filia fides tua te saluam fecit: Matth. 9. v. 22. & lairo,  
Solum modò crede Mar. 5. v. 36. Luc. 8. v. 50. Sic quan-  
do Rom. 10. v. 11. dicitur: Omnis qui credit in eo non pu-  
defiet, nihil dicitur aliud, quam quod non pudeant,  
qui fiduciam in illo collocatam habent.

Præterea cum credentibus in Christum promitta-  
tur iustificatio. Act. 13. v. 39. remissio peccatorum Act.  
10. v. 43. liberatio à morte Ioh. 11. v. 26. ius filiorum Dei  
Gal. 3. v. 26. vita æterna Ioh. 3. v. 16. si fides nudam saltem  
historiæ notitiam significaret, annonnè omnibus hypo-  
critis, imò etiam Diabolis tali fide præditis. Iacob. 2. v.  
19. hæc omnia competerent? quod est ἀσεβες καὶ ἀθεόλο-  
γοι.

LI.

Concludimus igitur, quod fides iustificans non  
sit tantum notitia in intellectu, qua tenemus doctrinam  
diuinitus traditam, sed insuper fiducia, qua Christum  
mediatorem apprehendimus, eiusq; satisfactionem no-  
bis applicamus, certò nobis persuadentes, quod remis-  
sionem peccatorum consequamur, & pro iustis reputemur  
non propter dignitatem propriam, sed ex sola Dei  
misericordia propter Christum saluatorem.

LII.

Cæterum fides non quatenus absolutè considera-  
tur

et ut iustificat: est enim in nobis multis modis imperfecta, adeoque minor ipsa charitate 1. Cor. 13. v. 13. præterea opus saltem vnius precepti: sed quatenus Christum respicit, eiusque meritum & satisfactionem sibi applicat: Scriptura enim obiectum fidei quasi digito notat Colos. 2. v. 5. Rom. 3. v. 26. cum dicit: qui crediderit in eo non pudebit Rom. 10. v. 11. qui credit in ME habet vitam æternam Ioh. 6. v. 42. & maximè illustra sunt Christi verba referente Paulo: ut accipiant remissionem peccatorum per fidem quæ est ERGA ME. Act. 26. v. 18.

LIII.

Præterea Apostolus fidei ita iustificandi vim tribuit, ut eam disertè operibus adimat: & à iustificationis actu penitus excludat: Dicit enim hominem iustificari fide absque operibus legis Rom. 3. v. 28. non nisi per fidem Iesu Christi Gal. 2. v. 16. non operantem iustificari Rom. 4. v. 5. & Christus dicit ad Iairum *μόνον πίστευε* solùm crede. Ex quibus duo colligimus, & quod fides non iustificet quatenus opus, & quod SOLA iustificet, quatenus Christi meritum apprehendit.

LIIII.

Quando autem solam fidem iustificare dicimus, tum exclusivam particulam non opponimus gratiæ & misericordiæ diuinæ, item satisfactioni & merito Christi, quæ supra inter veras iustificationis causas retulimus: sed saltem virtutibus nobis inhærentibus, & operibus quæ ab hominibus regeneratis profisciscuntur: Nec ita opponimus operibus, ut non adsint in credente & persona iustificata, sed saltem ne ad iustificationis actum sese insinuent.

LV.

Libenter enim concedimus veram fidem nunquam esse sine charitate, alijsq; bonis operibus, cum nunquam sit in credentibus otiosa, sed per charitatem operetur. Galat. 5. v. 6. negamus tamen bona opera cum fide coniunctim iustificationis actum ingredi, nec enim quæ sunt coniuncta, illicò coniunctim vnum idemque agunt.

LVI.

Bona itaq; opera ad quæ in Christo Iesu sumus conditi, quæq; præparauit Deus, vt in eis versaremur Ephes. 2. v. 10. 1. Thes. 4. v. 3. propter alias causas præstanda esse cum scriptura dicimus: videlicet vt ijs fidem & pietatem nostram declarem & testemur Iacob. 2. v. 18. 1. Timoth. 2. v. 10. præmia præsentis & futuræ vitæ consequamur, Deut. 28. Daniel. 12. v. 3. 2. Timoth. 4. v. 8. plures ad amplectendam synceram religionem excitemus 1. Pet. 3. v. 1. 2. alios in vero Dei timore ædificemus Rom. 14. v. 19. & deniq; diuini nominis gloriam illustremus: Matth. 5. v. 16. Philip. 1. v. 11. 1. Corinth. 6. v. 20. 1. Pet. 2. v. 12.

LVII.

Retinemus igitur nostris in Ecclesijs hanc *ἑρμηνείαν*, quod sola fides iustificet, vt omne meritum nostrorum operum cum scriptura excludamus: Pharisaicam Pontificiorum iustitiam refutemus: Christo debitum honorem tribuamus, quod solus sit mediator, propter quem beneficia in Evangelio promissa accipiamus, adeoq; vt omnem iustificationis laudem Deo in solidum ascribamus.

Quæstio



## QVÆSTIO QVINTA.

Quod obiectum Iustificationis?

LVIII.

Ad quos iustitia Dei pertineat, etiam considerandū est: Et quidem Christum omnibus hominibus gratiam & aditum ad æternam salutē promeruisse, proq; omnium hominum peccatis mortuum esse, supra ostensum: quemadmodum enim omnes peccauerunt, & destituntur gloria Dei. Rom. 3. v. 23. ita etiam omnibus in Christo est proposita ratio iustificationem & vitam æternam consequendi, non paucis tantum ex absoluto quodam Dei decreto electis.

LIX.

Nec tamen quia redemptio & satisfactio pro omnibus hominibus facta est, & prædicatio promissionesq; Evangelij sunt vniuersales, & ad singulos homines pertinent: propterea etiam vniuersalis omnium hominum iustificatio seposita applicatione fingenda est: alioqui etiam omnes impij hypocritæ & Epicurei iusti coram Deo censendi essent.

LX.

Iustitia namq; & satisfactio Christi, imputatur saltem credentibus Rom. 3. v. 22. Rom. 4. v. 5. & 29. & illi verè iustificantur ac salutem æternam cōsequuntur, qui agunt pœnitentiam, sibiq; credendo meritum Christi applicant: Omnis enim qui credit in Christum habet vitam æternam. Ioh. 3. v. 16. remissionem peccatorum accipit Act. 10. v. 43. & iustificatur. Act. 13. v. 39.

C 4

Quæstio



## QVÆSTIO SEXTA.

Quæ causa formalis & finalis.

LXI.

Iustificationis autem seu absolutionis nostræ in iudicio Dei causa formalis est, remissio peccatorum, seu imputatio iustitiæ Christi per fidem. Rom. 4. v. 6. & 24. Hinc Christus dicitur factus nobis à Deo Patre iustitia, & redemptio 1. Corinth. 1. v. 30. quòd per sanguinem suum à peccatis lauemur. Apoc. 1. v. 5. & per illius obedientiam iusti constituamur Rom. 5. v. 19.

LXII.

Hinc & Apostolus duplicem diuinæ imputationis respectum in negotio iustificationis esse docet: Nam ita iustificamur, vt Deus nobis quæ nostra sunt nō imputet, videlicet peccata. Rom. 4. v. 8. 2. Corinth. 5. v. 19. & quæ nostra non sunt, merito aut in herentia, ea imputet, videlicet satisfactionem Christi. Rom. 4. v. 24.

LXIII.

Causa finalis nostræ iustificationis quoad Deum est, vt immensa eius erga nos misericordia, dilectio & deniq; iustitia agnoscatur. Ioh. 3. v. 16. Rom. 3. v. 26. Christo debet honor tribuatur, quòd solus sit ipse generis humani mediator & saluator, nostra sanctificatio & iustitia: qui igitur suis operibus deberi putant iustitiam, remissionem peccatorum & vitam æternam, in iudicio Dei consistere nequeunt.

LXIII.

Quoad nos autem vt credendo satisfactionem Christi nobis applicantes saluemur, & vitam consequamur æternam.

æternam : Ioh. 3. v. 16. eamq; consecuti Deum cum beatis angelis perpetuò laudemus & celebremus.

## QVÆSTIO SEPTIMA.

An certi de salute nostra esse debeamus?

LXV.

Varios iustificationis nostræ scriptura recenset effectus, adoptionem in filios Dei Gal. 4. v. 5. sanctificationem, viuificationem, inchoationem nouæ obedientiæ & si qui sunt similes: ille tamen hodie maximè notandus est, qui traditur Rom. 5. v. 1. quòd efficacia & vis iustificationis gratuita sit pax cum Deo & tranquillitas cōscientiæ, accessus ad Deum per fidem amplectentem gratiam istam in qua stamus Rom. 5. v. 2.

LXVI.

Nam recentiores Pontificij & Patres Tridentini Cōciliabuli anathema dicunt omnibus, qui certò credunt ac persuasum habent sibi remissa esse peccata per Christum: imò superbiam Pharisaicam appellant, eam quam ex verbo Dei profitemur fidei certitudinem & πληροφωγίαν Ioh. 14. v. 27. Act. 10. v. 36. Ephes. 2. v. 17.

LXVII.

Nec mirum: cum enim in salutis nostræ causa nitantur potissimū suis virtutibus inhærente sanctitate, & operibus, quæ multis modis sunt manca, mutila & imperfecta coram seuerissimo Dei iudicio: quid inde aliud quam mera dubitatio, & post hanc desperatio existere potest: siquidem etiam si omnia fecerimus quæ iniuncta sunt nobis, serui tamen inutiles sumus, quæ debuimus facere,

facere, fecimus Luc. 17. v. 10. etsi reddenda esset factorum ratio apud Deum, ex mille ne ad vnum quidem possemus respondere Iob. 9. v. 2. & 3.

LXVIII.

Sed nos prætermisso anathemate Pontificio ex verbo Dei docemus, hominem peccatorem pœnitentiam agentem, & vera fide promissionem Evangelij de satisfactione Christi amplectentem, certò statuere debere Christum pro suis quoque peccatis satisfecisse, se esse in gratia Dei, & sibi propter Christum peccata esse remissa: Academicam autem Pontificiorum ἐπόχην tanquam scripturæ aduersantem meritò reijcimus.

LXIX.

Pugnat enim hoc dogma primò cum natura & proprietate fidei. Credere enim & dubitare pugnant, vt patet Matth. 21. v. 12. Mar. 11. v. 23. Rom. 4. v. 20. Iacob. 1. v. 6. nec qui dubitat sed qui credit habet vitam æternam Ioh. 3. hinc fides dicitur ὑπόστασις substantia: ἔλεγχος certum & indubitatum argumentum Heb. 11. item πληροφορία & πεποιθήσις, confidentia in Deo, appellatur scutum nostrum quo omnes tentationes facile repellimus Ephes. 6. v. 16. quæ singula ostendunt naturæ fidei dubitationem è diametro repugnare.

LXX.

Et propterea Deus voluntatem suam non saltem per prædicationem Evangelij patefecit, sed etiam per sacramenta promissiones gratiæ obsignauit: vt fideles de ijs minimè dubitarent: hinc baptismum Petrus præstare dicit, vt conscientia nostra benè respondeat & tranquilla sit apud Deum 1. Pet. 3. v. 21. Præterea Spiritus Sanctus ideò datur credentibus, vt promissionem gratiæ in illis obfi-



obsignet ac certam reddat 2. Corinth. 1. v. 22. Rom. 8. v. 16.

### LXXI.

Hinc Apostolus certus est, quod Christus dilexerit ipsum, proque ipsius peccatis satisfecerit Galat. 2. v. 20. certus est cum omnibus fidelibus de Dei erga se dilectione Roman. 8. v. 38. hinc alibi dicit: Scio cui crediderim & mihi persuasum est, eum posse depositum meum in illum diem seruare 2. Timoth. 1. v. 12. nugatur ergo Belarminus cum negat Paulum fuisse certum de iustitia & salute sua.

*Lib. 3. de  
Iustif. cap.  
5.*

### LXXII.

Neq; huic fiducia nostræ obstare debet, quod fides nostra est infirma, & multis modis imperfecta: ea enim non dignitate nostra, sed solius Christi merito & satisfactione nititur, quæ per fidem nobis imputatur: præterea infirmitati fidei sancti repugnant, & fidei incrementa à Christo cum Apostolis petunt Luc. 17. v. 5. Marc. 9. v. 24.

### LXXIII.

Impudentes igitur sunt Pontificij, Pharisaicam dum nobis obijciunt superbiam: non enim isthæc certitudo nostris innititur meritis aut inhærente sanctitate, ut prius dictum: sed sola Christi mediatoris satisfactione. Ac proinde rectè Augustinus: Dicat (inquit) vnusquisq; fidelium, sanctus sum: Non est ista superbia elati, sed confessio non ingrati: Si enim dixeris te sanctum esse ex te superbus es: Rursus fidelis in Christo & membrum Christi, si te non dixeris esse sanctum ingratus es: Itaq; nec superbus sis, nec ingratus: Multò verò magis superbi sunt Pontificij, dum vna cum Pharisæis propria merita iactantes imperfectis suis operibus in iudicio Dei comparere non verentur.

LXXIII.

Atq; hæc ex fontibus doctrinæ coelestis de hoc Christianæ religionis articulo breuiter dicta sunt. Gloria sit æterno Deo Patri, qui propter multam charitatem suam qua dilexit nos, misit filium suū, vt esset propitiatio pro peccatis nostris. Gloria sit Dei Filio Domino nostro Iesu Christo, qui propter nostram salutem est mortuus, & propter iustificationem nostram resuscitatus: Gloria sit deniq; Spiritui Sancto, qui nobis hanc doctrinam per Evangelij predicationem patefecit, & in cordibus piorum clementer conseruauit & adhuc conseruat.



F J N J S.




Series Contentorum,

- Papii de Scriptura S. R.  
Gerhartij de Ecclesia, Traditionibus,  
Papii de Ecclesia,  
Fabii de Peccato originali,  
Marbachij de Justificatione, Baptismo, Sacramento in ge<sup>3</sup> contra Ursinum,  
Papii de presentia Christi in Cena contra eundem Ursinum, R. Barthio,  
Marbachij de Cena Domini, Sectione, Providentia DEI, libero Arbitrio,  
Papii de discrimine peccati mortalis & venialis, R. Bechtoldo,  
Marbachij de Scriptura S. Ecclesia, Pontifice Romano, Fide Justificia,  
libero Arbitrio, Poenitentia, Cruce S. contra Osterum,  
Speranti de Concilijs, R. Bechtoldo,  
Marbachij de Jejunijs, Precijs Latinis, contra eundem Osterum, N.  
Papii de Ministerijs Ecclesiasticis,  
Marbachij de Unione Naturarum & Communicatione Idiomatum, R. Taupfero,  
Bechtoldi de Cena Domini contra Pontificis, & alia contra Calvinianos,  
Froeseisenij de Munerij Ecclesiastici administratione, ex 1. Petr. V.  
Thurnij de Concilijs, R. Bechtoldo,  
Bechtoldi de Cena Domini,  
Eisenij de arcana Scriptura S. sententia, contra Mosheimenses,  
Froeseisenij de cultu Sanctorum,  
Schmidtij de Evangelio, Bonis operibus,  
Froeseisenij de septem abusibus ex August. Confess. R. Nottero,  
Dorffchet de renovatione hominis ad Imaginem DEI,  
Schmidtij de Cena Domini, R. Lütkenanno,  
Eisenij de Poenitentia,  
Dorffchet de Peccato originali,  
Fregiferi de Resurrectione mortuorum, Universalitate Meriti Christi, R. Webero,  
Nicolai de Cena Domini contra Calvinianos,  
Fregiferi de cultu Sanctorum,  
Marbachij de Purgatorio & coelibatu Sacerdotum, contra Osterum, R. Bechtoldo,

M. A. R. A.





21





59 635

ULB Halle 3  
004 830 156



von Hi. 79







Num. 6

THESES  
DE IVSTIFICATIONE  
HOMINIS PECCATORIS  
CORAM DEO



Quas, diuina adiuuante gratia

SVB PRÆSIDIO REVERENDI  
& Clarissimi viri

DN. PHILIPPI MARBACHII SS. THE-  
OLOGIAE DOCTORIS ET PROFESSO-  
ris in celebri Argentinesium Academia,

Publice tuebitur,

MATTHIAS TOTSNERVS TRANSYLVANVS.

Mense Augusto.



ARGENTORATI  
Excudebat Antonius Bertramus, Academiae Typographus.  
M. D. XCVII.

